

THEOLOGICÆ

SACRAMENTIS PŒNITENTIÆ

DISPUTATIO I.

DE VIRTUTE PŒNITENTIÆ.

CAPUT I.

DE NATURA VIRTUTIS PŒNITENTIÆ.

1. De Pœnitentia disputat S. Thomas 3. parte a quæst. 84. usque ad finem 90<sup>æ</sup>: et in Supplemento ejusdem 3. partis, quam beata morte præventus non absolvit, ex aliis S. Doctoris sui lucubrationibus idem argumentum a discipulis ipsius continuatur et ad finem deducitur quæstionibus 28. Quoniam vero idem S. Doctor q. 83. pœnitentiam, in quantum virtus est, fusius explorat, opus est, ut eandem methodum observemus: nam sicut in lege gratiæ virtus pœnitentiæ sine sacramento vel ordine ad sacramentum procedere non valet, ita nec sacramentum sine virtute eadem potest consistere.

ARTICULUS I.

AN ET QUALIS VIRTUS SIT PŒNITENTIA?

2. *Nota I.* Pœnitentia sensu laxiore accepta dicitur retractatio quælibet voluntatis prioris, etiamsi mala non fuerit: quo modo per metaphoram Gen. 6. v. 6. Deum *pœnituit*, quod hominem fecisset in terra. Et jurisperiti aiunt aliam esse pœnitentiam contractus, aliam criminis. Glos. ad lit. *Qui ea. ff. de furtis*. Quanquam non quælibet pœnitudo criminum laudetur, ut in Juda Iscariote patet, qui Matth. 27. v. 3. *pœnitentia ductus retulit triginta argenteos*. Igitur ad pœnitentiam, de qua nunc loquimur, et quæ sit virtus, requiritur, ut aliquis doleat de quo dolendum est, et eo modo et fine quo dolendum est. Quod quidem duobus modis accidere potest, primo quidem per honestam retractationem peccati ex motivo peculiari cujuscumque virtutis: omnis enim virtus uti ex motivo proprio fertur in actus bonos; ita ex eodem malos detestatur. In hac *philosophica* acceptione pœnitentia dicitur generalis virtus, eo quod ad omnes virtutes simul se extendat. Si vero pœnitentia consideretur *theologicæ*, est habitus virtutis specialis et distinctæ a cæteris omnibus, quæ ex motivo sibi proprio, peculiari, et generatim se ad omnia peccata extendente crimen perpetratum aversatur ac

destruit. Dari talem habitum specialem virtutis pœnitentiæ negant Altisiodorensis L. 4. Summæ tract. 6. q. 3. et Franciscus Maironis in 4. d. 14. q. 2. dicentes sufficere pœnitentiam quæ sit collectio virtutum omnium, quarum quælibet ex suo motivo peccatum sibi oppositum detestetur.

*Nota II.* Hæretici nolunt pœnitentiam esse afflictionem animi peccata præterita detestantis, et abolere cupientis; sed aiunt, esse meram respicientiam et mutationem vitæ in melius. Ita Lutherus et Beza in cap. 3. Matth.; quibus in errore præiverunt Laurentius Valla in c. 7. posterioris ad Corinthios, et Erasmus in c. 3. Matth. putantes, se id ex etymologia vocis græcæ μετανοεῖν et hebraicæ shoub eruisse. Verum Scriptura et Patres contrarium nos docent, etsi eisdem verbis utantur. Job c. ult. v. 6. ait: *Ipse me reprehendo, et ago pœnitentiam* (heb. nihamthi) *in favilla et cinere.* Joël c. 2. v. 12. *Convertimini* (heb. shoubou) *ad me in toto corde vestro, in jejuniis, et in fletu, et in planctu. Et scindite corda vestra, et convertimini* (heb. shoubou), *ad Dominum Deum vestrum.* Matth. 11. v. 21. Luc. 10. v. 13. de Tyriis et Sidoniis ait Christus: *Olim in cilicio et cinere pœnitentiam egissent, μετενόησαν.* Ex pluribus Patrum, quos lege apud Bellarminum L. 4. de Pœnit. c. 7. S. Augustinus epist. 108. ad Seleucianum (al. 265. n. 8.) *Est, inquit, pœnitentia bonorum et humilium fidelium pœna quotidiana, in qua pectora tundimus, dicentes: dimitte nobis debita nostra.* Quin et ipse Tullius, etsi pœnitentiæ nomen non usurpet, vim tamen eandem verbo tribuit L. 4. Tusculan. qq. sub finem, ubi, *ut Alexandrum, inquit, regem videmus, qui cum interemisset Clytum familiarem suum, vix a se manus abstinuit: tanta fuit vis pœnitendi.* Et Ovidius L. 1. de Ponto, Eleg. 1. *Pœnitet; et facto torqueor ipse meo.* His prænotatis

3. *Dico.* Pœnitentia, prout in præsentī argumento accipitur, est vera virtus distincta a virtutum omnium collectione, eaque non theologica, sed moralis.

*Partem 1<sup>am</sup>.* S. THOMAS q. 83. a. 1. ita a posteriori probat. *Præcepta legis dantur de actibus virtutum: quia legislator intendit cives facere virtuosos, ut dicitur 2. Ethic. 1. sed præceptum divinæ legis est de pœnitentia, secundum illud Matth. 4. v. 17. Pœnitentiam agite, etc.; ergo pœnitentia est virtus.*

Eandem thesin S. Doctor mox a priori ita demonstrat (ibid. in 0. : *Dicitur enim in 2. Ethicorum* (cap. 6. vel 8.) : *quod virtus est habitus electivus secundum rationem rectam. Pertinet autem ad rationem rectam, ut aliquis doleat de quo dolendum est, et eo modo et fine, quo dolendum est. Quod quidem observatur in pœnitentia de qua loquimur: nam pœnitens assumit moderatum dolorem de peccatis præteritis cum intentione removendi ea. Unde manifestum est, quod pœnitentia, de qua nunc loquimur, vel est virtus, vel actus virtutis.* Hactenus S. Thomas, cujus doctrina Patrum testimoniis firmatur. Nam S. JOAN. CHRYSOSTOMUS hom. 23. in Matth. (al. 22. opp. t. 7. p. 281. A.) *Non est, inquit, aliquod omnino peccatum, quod non cedat pœnitentiæ virtuti.* S. GREGORIUS M. L. 2. Registri epist. 39. *Magna, inquit, est contra peccatum virtus pœnitentiæ.* Et homil. 34. in Evang. n. 15. (opp. t. 2. p. 1609.) dum ait, pœnitentiam non esse aliud, quam *perpetrata mala plangere, et plangenda non perpetrare, dolorem et propositum pœnitentiæ actibus compre-*

hensum indicat. Cui concordat S. GREGORIUS NYSS. oratione contra eos, qui alios acerbius judicant (opp. t. 2. p. 969. C.): *Quid, inquit, aliud est pœnitentia, nisi dissolutio et eversio præteritorum, quæ vel re, vel cogitatione sunt admissa?*

Denique pœnitentia, de qua nunc loquimur, *est habitus bonus, qui facit habentem bonum, et opus ejus bonum: est bona mentis qualitas, qua recte vivitur, qua nemo male utitur;* est ergo virtus: nam ita virtutem definiunt Aristoteles 2. Ethic. 3. et S. Augustinus L. 1. retract. c. 1.

*Partem 2<sup>am</sup>.* conclusionis idem S. Thomas art. 2. hoc argumento declarat. *Ubi occurrit specialis actus laudabilis, ibi necesse est ponere specialem habitum virtutis. Manifestum est autem, quod in pœnitentia invenitur specialis ratio actus laudabilis, scilicet operari ad destructionem peccati præteriti, in quantum est Dei offensa: quod non pertinet ad rationem alterius virtutis. Unde necesse est ponere, quod pœnitentia est specialis virtus.* Præsertim quod sit specialis honestas in superanda difficultate objecti formalis pœnitentiæ, deturque præceptum speciale legis de pœnitentiæ actibus exercendis.

*Conf.* Si non detur specialis habitus pœnitentiæ, ergo qui pœnitentiam vellet agere de pluribus diversisque peccatis, deberet speciatim meminisse eorum omnium, et ex peculiari virtutis cujusque motivo, cui peccatum quodlibet adversatur, singula quæque detestari. Hoc autem perquam absurdum est: forte enim nimis arduum, imo impossibile, rudibus præcipue; neque uspiam præceptum tale extat; ergo.

*Pars 3<sup>a</sup>.* est etiam S. Thomæ a. 3. ubi negat, pœnitentiam esse virtutem theologiam, et eandem ad justitiæ commutativæ analogiam reducit. Nam virtus theologica habet pro objecto formali immediato perfectionem aliquam Dei. Pœnitentiæ autem objectum formale est honestas actionis, qua peccator jus illud Dei pro viribus cum divina gratia adæquat, delendo peccatum et compensando offensam. Quod quidem motivum cum creatum sit, virtutem ethicam constituit.

4. *Obj. I.* Verecundia non est virtus, quia supponit turpe factum, ut habet Philosophus 4. Ethic. c. ult.; ergo etiam pœnitentia non erit virtus: nam et ista peccatum supponit.

*R. D. Ant.* Verecundia non est virtus, quia simpliciter supponit turpe factum N. non est virtus, quia est mera passio, neque efficaciter aversatur turpitudinem C. Verecundia est motus appetitus sensitivi indeliberate surgens ex apprehensione dedecoris ob turpe factum, quod menti objicitur, atque saltem intentionaliter præsens est, pudoremque excitat, a quo sanguis subito in faciem propellitur. Quamvis autem S. Thomas 2. 2. q. 144. a. 1. verecundiam laudabilem esse pronunciet, recte tamen negat eam esse virtutem, tum quia est passio; tum etiam quod talis timor, ut art. 2. prosequitur, primo et principaliter respicit vituperium seu opprobrium: quod cum vitio debeat, ideo tantum ex consequenti respicit turpitudinem vitiosam, seu deformitatem mali actus voluntarii, idque dupliciter, primo, ut quis desinat vitiose agere propter timorem vituperii; deinde, ut in turpibus, quæ agit, vitet conspectus publicos ob timorem vituperii: quorum prius pertinet ad erubescendum, posterius ad verecundiam: neutro autem

modo sic agitur ex virtute. Aliter res habet in pœnitentia: nam etsi odium, dolor et tristitia, in quantum sunt passio appetitus sensitivi, virtutes esse non possint, et hoc sensu pœnitentia sit mera passio; prout tamen affectio ista est in voluntate, quæ deliberate tristatur de peccato præterito, illudque ex fine honesto detestatur, ac destruit, vera et propria virtus erit.

*Inst. 1.* S. Thomas q. 88. a. 6. ait, pœnitentiam tantum præsupposito peccato præexistente necessariam esse ad bonum hominis; unde a. 1. dixerat, de illa magis dici posse, quod sit virtus, quam de verecundia; ergo est tantum virtus ex supposito, non autem simpliciter. Ita Cajetanus.

R. N. *Cons.* Suppositio peccati non prohibet, quo minus actus pœnitentiæ sint deliberati, recti, et naturam rationalem ex fine honesto decentes; ergo neque rationem absolutam virtutis ab habitu pœnitentiæ tollet. Sicut suppositio causæ producentis, ut Petrus in rerum natura detur, non impedit ne idem sit absolute homo, eo quod illa rationem absolutam hominis Petro non demit. Deinde S. Thomas ibidem ait, pœnitentiam se ad virtutes cæteras habere quoad necessitatem, sicut se habet ad sacramenta cætera; at respectu horum nihilominus est vere ac simpliciter sacramentum; ergo respectu aliarum virtutum est vere et simpliciter virtus.

*Inst. 2.* Virtus est dispositio perfecti ad optimum, ut habetur 7. Phys. text. 17. At pœnitentia non est dispositio perfecti, cum supponat peccatum in subjecto; ergo.

R. *Explicio textum.* Virtus est dispositio perfecti semper præsuppositive N. perfecti saltem constitutive C. Virtus ex ipsa ratione nominis importat quamdam perfectionem potentiæ, quia de ratione virtutis est, quod ponat potentiam in ultimo quoad actum, quoad objectum, et quoad modum operandi. Ultimum autem et finis cuiusque potentiæ est actus; ergo dum virtus rite determinat potentiam ad actum, disponit illam ad optimum in suo genere: finis enim cuiusque potentiæ et optimum idem est. Vide S. Thomam 1. 2. q. 55. a. 1. et seqq. Sicut ergo albedo est forma albi, non præsuppositive, sed constitutive: ita pœnitentia perfectionem suam potentiæ communicat, eamque determinat ad actus honestos sibi proprios, qui sunt finis potentiæ, et optimum in linea hujus virtutis.

5. *Obj. II.* Nulla virtus essentialiter præsumit peccatum in suo subjecto; ergo pœnitentia non est virtus.

R. N. *Ant.* Ars medica præsumit morbos saltem possibles in proprio et alieno corpore. Habitus justitiæ vindicativæ præsumit delicta possible aliorum. Justitia commutativa habet pro objecto debitum restituendi etiam ex delicto proprio contractum. Harum etiam virtutum actus expeti queunt, sed facta hypothese, quin ideo morbi, aut crimina expetantur. Simpliciter item negandum est, quod pœnitentiæ vel alius virtutis actus contrarium sui exigant in subjecto: nam exigere est esse quodammodo prius, cum sit quasi causa illius quod exigitur: item quod exigitur debet esse bonum exigenti; pœnitentiæ autem actus necessario posterior peccato est: neque peccatum est ejus bonum, sed terminus tantum, et occasio.

*Inst.* Pœnitentia conatu stulto vult factum infectum reddere; ergo non habet voluntatem absolutam virtutis: nullus enim est stultus eorum, qui sunt secundum virtutem, ut 4. Ethic. habet Philosophus.

R. N. *Ant.* cum S. Thomæ a. 1. ad 3. Dolor pœnitentiæ est displicentia seu reprobatio peccati præteriti cum intentione removendi sequelam ipsius, scilicet offensam Dei et reatum pœnæ: itaque animum comparat, ut si integra res adhuc esset, non jam admitteretur peccatum, quod stultum non est: nam prudenter odimus, quod insipienter egeramus.

6. *Obj. III.* Fides est virtus theologica, licet motivum ejus inadæquatum, scilicet revelatio divina, sit creatum aliquid; ergo licet æqualitas cum jure divino sit quid creatum, tamen pœnitentia virtus theologica esse potest; in ea enim, ut S. Thomas art. 2. hujus quæst. notavit, *invenitur specialis ratio actus laudabilis, scilicet operari ad destructionem peccati præteriti, in quantum est offensa Dei*; quod motivum videtur esse caritatis.

R. N. *Cons.* Fidei theologice objectum formale præcipuum et immediatum est auctoritas Dei revelantis. E contra nec pœnitentia nec virtus alia moralis objectum proximum et immediatum habet perfectionem aliquam divinam: neque enim pœnitentia destructionem peccati et offensæ Dei intendit ex motivo divinæ bonitatis; sed tantum ob honestatem actus, quo injuria Deo illata compensatur, ut S. Thomas art. sequenti ostendit. Sicut religio non est virtus theologica, quia immediate movetur ab honestate cultus Deo exhibiti ob supremam ipsius excellentiam, mediate autem et remote tantum ab eadem Dei excellentia determinatur. Quapropter etiam non satisfaciunt dicentes, motivum formale quod pœnitentiæ esse destructionem peccati quoad effectus morales demeritorios: et motivum formale propter quod esse bonitatem et honestatem in destructione peccati mortalis quoad esse morale: nam ejusmodi motivum vel nimis commune est, cum virtus quælibet oppositos actus quoad esse morale destruere nitatur; vel spei soli convenit: sicut enim objectum spei sunt merita, ita ejusdem est destruere peccatum quoad actus demeritorios. Multo minus ratio virtutis pœnitentiæ constitui potest in eo, quod pœnitens propter studium pacis cum Deo destructionem peccati desideret; nam si peccator sua causa Deum amicum velit, amor erit concupiscentiæ et virtus spei; si autem Dei causa amicitiam et pacem illam expetat, erit amor amicitiae et caritas, quæ virtus theologica est.

## ARTICULUS II.

## DE MOTIVO FORMALI VIRTUTIS PŒNITENTIÆ.

7. *Nota.* Motivum seu objectum formale virtutis cujuscumque est propria ratio, propter quam fertur in objectum materiale, et qua a virtutibus reliquis discernitur: est enim finis intrinsecus et primarius, quem sola illa virtus per suos respicit, et propter quem amat, odit, desiderat, fugit, tristatur, gaudet, etc.

Si pœnitentia generatim et quasi philosophice accipiatur, non habet definitam et specificam rationem formalem objecti, sed universim et confuse illi respondet motivum honestum ad detestandum peccatum, ut ex nuper dictis liquet. Nam objectum debet esse proportionatum virtuti seu facultati, cui assignatur: pœnitentia autem modo illo sumpta non est una definita virtus, sed plures sub illa confusa ratione comprehendit; ergo et pluribus ex motivis peccata diversa detestatur.

Cum vero secundum S. Thomæ et Theologorum plurimorum sententiam peculiaris detur virtus, quæ ex motivo proprio, et a cæterarum virtutum collectarum motivis distincto peccata præterita aversatur et delet, quodnam illud motivum sit, breviter dispiciamus.

8. *Dico.* Motivum specificum et proprium pœnitentiæ virtutis peculiaris, est jus divinum quatenus ex peculiari debito justitiæ servandum: prout autem exercet pœnitentiæ peculiare munus detestandi peccata, proprium ejus munus est resarcire divinam injuriam. Ita cum Thomistis Suarez disp. 2. sect. 3., de Rhodes, Coninc et plures alii.

*Prob.* S. Thomas q. 85. a. 3. *Pœnitentiæ*, inquit, *non habet, quod sit virtus specialis ex hoc solo, quod dolet de malo perpetrato (ad hoc enim sufficeret caritas) sed ex eo, quod pœnitens dolet de peccato commisso, in quantum est offensa Dei, cum emendationis proposito. Emendatio autem offensæ contra aliquem commissæ non fit per solam cessationem offensæ, sed exigitur ulterius quedam recompensatio, quæ habet locum in offensis in alterum commissis, sicut et retributio. Utrumque autem ad materiam justitiæ pertinet: quia utrumque est commutatio quedam. Unde manifestum est, quod pœnitentiæ secundum quod est virtus, est pars justitiæ.*

Ex his ita argumentamur: Juxta sanctum Doctorem, pœnitentiæ est quedam justitia ad Deum: atqui jus est objectum justitiæ, ut habet idem S. Doctor 2. 2. q. 57. a. 1.; ergo pœnitentiæ objectum formale est jus divinum exæquandum.

Hinc Paludanus, Sotus, Canus ac Thomistæ passim dicunt, objectum formale pœnitentiæ esse peccatum ut destruendum, ut expiabile, et ut compensabile. Quæ quidem vox *compensationis* peropportune in argumento præsentis adhibetur: offensa enim et injuria non tollitur, quantum est ex se, nisi per satisfactionem, qualem saltem exhibere potest is, qui injuriam intulit: sicut inæqualitas non tollitur nisi per æqualitatem.

9. *Obj.* Si pœnitentiæ habet pro motivo formali jus divinum quatenus ex peculiari debito justitiæ servandum: et si in quantum exercet munus detestandi peccata, proprium ejus motivum sit resarcire divinam injuriam; ergo nihil differet ab habitu justitiæ. Hoc autem dici non potest: nam in Christo et SS. Angelis justitia erat, in quibus tamen pœnitentiæ locum non habebat.

*R. D. seq.* Pœnitentiæ nihil differet a justitiâ, quæ inter Deum et hominem intercedit. C. nihil differet a justitiâ commutativa et stricta illa, quæ est inter homines privatos. N. Equidem jus divinum tam proprietatis, quam jurisdictionis altius est et excellentius quocumque jure creato, ut peccatum quodlibet sit vera offensa, et altioris ordinis injuria, quam sit omnis offensa et injuria humana: nihilominus compensatio, quæ per pœnitentiæ fit, justitiæ vere ac proprie talis dici non potest: nam quidquid homo in compensationem peccati Deo exhibuerit, multis nominibus inabdicabiliter jam Dei est, adeoque jus divinum cœquari nunquam poterit; ut abunde ostendimus in Tract. de Incarnatione.

Quare S. Thomas 3. p. q. 86. a. 3. cum ex Philosopho 5. Ethic. c. 6. docuisset, aliud esse justum simpliciter, politicum seu civile, quod sit inter cives æquales, et fundet justitiâ strictè commutativam: aliud vero justum

secundum quid, inter illos nempe, quorum unus est sub potestate alterius; sicut servus sub domino, filius sub patre, uxor sub viro, addit: *Et tale justum consideratur in pœnitentiâ. Unde pœnitens recurrit ad Deum cum emendationis proposito, sicut servus ad dominum, Ps. 122. v. 2. et seqq.; sicut filius ad patrem, Luc. 15. v. 21.; sicut uxor ad virum, Jerem. 3. v. 2.* Pœnitentiæ igitur est tantum pars potentialis, non autem subjectiva justitiæ proprie acceptæ, cujus umbram aliquam refert.

*Inst. 1.* Pœnitens Deo satisfactorus, se ipsum affligit et cruciat; ergo habitus pœnitentiæ perlinet ad justitiâ vindicativam.

*R. N. Cons.* cum S. Thoma nuper cit. ad 3. Nam 1°. justitiâ vindicativa residet in superiore habente jurisdictionem, et animadvertit in crimina aliena: peccator pœnitens se ipsum ob culpam propriam discruciat. 2°. Vindex publicus pœnam sontis sceleri commensuratam secundum leges necessario infert: pœnitens autem labore modico odium Dei et æternam damnationem, damna et supplicia peccato mortali debita ab se amolitur. 3°. Judex criminosos puniendo reipublicæ quærit commoda: pœnitens mœrendo et adversum se æviendo, sibi soli consulit.

*Inst. 2.* In pœnitentiâ sunt duo actus, alter primarius consistens in compensatione culpæ: alter secundarius, quo satisfit pro pœna. In priore actu pœnitens se habet tantum ut reus et debitor solvens prout potest: in posteriore autem se habet ut minister judicis puniens seipsum tanquam sontem; ergo posterior actus pertinet ad distinctam virtutem a pœnitentiâ, nempe ad justitiâ quamdam vindicativam, quam S. Thomas ait speciem aliquam esse justitiæ commutativæ.

*R. N. Cons.* Cajetanus hic immerito virtutes multiplicat: nam voluntaria hæc et amicabile vindicta tota refertur ad pleniorè compensationem et destructionem culpæ: ac potest quis ex virtute pœnitentiæ in semet animadvertendo, ministerium Dei vindicantis antevertere. Quid? quod Suarezio, in hunc S. Thomæ art. probabile videatur, justitiâ vindicativam prout servat æqualitatem commutativæ non esse realiter distinctam a communi virtute justitiæ commutativæ, licet fortasse addere possit imperium justitiæ legalis. Quod de habitibus supernaturalibus audentius dicimus: nam cum hi per actus frequentatos non acquirantur, sed infundantur una divinitus, ad plura sese ac diversissima objecta porrigunt, ut in fidei divinæ habitu videmus. Quapropter non opus est habitus infusos realiter ab se mutuo distingui, nisi quatenus pro nullo casu seu illicito reddi possint otiosi, ita ut non possint etiam volenti esse usui; prout recte Haunoldus adnotat L. 4. n. 894. Ex dictis hactenus

*Collige,* habitum pœnitentiæ secundum pressiorè vocis hujus significationem, et prout peccati proprii retractionem notat, in Christo nec fuisse, nec esse potuisse; quippe cui peccare omnino repugnabat, quod universim docent Theologi cum S. Thoma in 4. d. 14. q. 1. a. 3. quæstiunc. 3. ad argum.

Si vero pœnitentiæ virtus materialiter, ut ita dicam, consideretur, et in suo conceptu adæquato, iu quantum est habitus justitiæ ad Deum, cujus jus illæsum servare studet, dubitari non potest, et in Christo illam fuisse, et in quacumque voluntate creata recte disposita reperiri. Nam si pœnitentiæ generatim sumpta pertinet ad caritatem, et suo modo ad quamlibet virtutem, ut aliquoties ostendimus: et virtutes istæ omnes citra dubium in

Christo fuerunt, quamvis non sub generalis pœnitentiæ notione; plane consequitur, pœnitentiã, quæ virtus eadem, quæ justitiã, locum in Christo habuisse, quatenus animum duntaxat disponit ad jus divinum servandum.

Atque hisce satisfactum ex iis, quæ pro objectione firmanda supra afferbantur. Soluta item est quæstio de subjecto remoto pœnitentiæ: nam ejus proximum subjectum esse voluntatem per se claret.

## ARTICULUS III.

## QUODNAM SIT OBJECTUM MATERIALE VIRTUTIS PŒNITENTIÆ?

10. *Nota.* Pœnitentiã dupliciter spectari potest: 1º. adæquate secundum completam rationem suam, et secundum actus omnes, quos exercere valet: in qua acceptione cum varia illi incumbant officia, materiã quoque universaliorẽ habet, in quam per actus tam prosequentes, quam aversantes fertur: sicut delectatio illicita est materiã, quam fugit castitas; e contra puritas corporis est ejusdem virtutis materiã amplectenda.

2º. Eadem virtus pœnitentiã plerumque in sensu ætiori sumitur, prout ex notione nominis retractationem facti prioris significat: quo in sensu exercet munus detestandi peccata a pœnitente commissa, deque illis dolendi, eaque omnino destruendi, atque in actibus istis præcise sistit. Secundum hanc acceptionem pœnitentiæ objectum maxime considerari solet: ex hujus enim materiæ notitiã virtutis ejusdem laxius sumptæ officia reliqua promptius conjici possunt.

11. *Dico.* Objectum materiale pœnitentiæ virtutis propriæ magis spectatæ est peccatum; mortale præsertim, a pœnitente ipso ante commissum, prout detestandum ac destruendum.

*Prob. I.* S. Scriptura objectum hoc pœnitentiæ designat: Lev. 5. v. 5. *Agat pœnitentiã pro peccato.* Ezech. 18. v. 21. *Si impius egerit pœnitentiã ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est.* Et multa alia id genus testimonia in sacris litteris passim occurrunt. Ubi etiam pœnitentiã, ita propriè acceptã, peccatoribus attribuitur, ut Luc. 5. v. 32. *Non veni vocare justos, sed peccatores ad pœnitentiã.* Et Manasses in oratione, quæ sacrorum librorum canoni subnecti solet: *Non posuisti, inquit, pœnitentiã justis, qui tibi non peccaverunt.*

*Prob. II.* His concordant sententiæ Patrum, quas art. 4. attulimus. Accedit S. EPHREM, qui L. de judicio extremo c. 5. *Compunctio, inquit, remissionem delictorum nobis acquirit.* Et iterum S. JOAN. CHRYSOSTOMUS homil. 5. de Pœnitentiã (al. 7. opp. t. 2. p. 327. B.) vocat pœnitentiã *peccati constatorium*; et (p. 331. B.) *medicinã peccatã nostrã delentem.* Et Theologi cum Magistro dist. 14. et 17. et S. Thoma q. 85. art. 1. et 2. et q. præcedente a. 2. ubi dicit, actus peccatoris pœnitentis esse proximã materiã sacramenti pœnitentiæ: materiã autem illorum actuum esse ipsa peccata. Actus vero tales sunt virtutis pœnitentiæ.

*Prob. III.* Objectum materiale virtutis aversativæ est, quod opponitur honestati, quam virtus prosequitur: atqui peccatum violat jus divinum,

quod reparare sibi honestum ducit pœnitentiã; ergo peccatum est objectum materiæ pœnitentiæ, cujus virtutis actus præcipuus est retractatio peccati.

12. Ex modo disputatis sequentiã porismata deducimus: 1º. Peccata venialia etiam objecta esse virtutis pœnitentiæ: nam si virtus ita in sensu largiore consideretur, displicet virtuti cuilibet peccatum veniale propter turpitudinem, quam unumquodque in specie propria habet: ut leve mendacium, prout veracitati repugnat, ab hac virtute odio habetur ac detestationi: caritas peccatum veniale quodvis luget, in quantum Deo amico invisum est, et virtutis hujus theologicæ fervorem imminuit.

Quod si etiam virtus pœnitentiæ speciatim et in acceptione magis propria spectetur, sub objecto suo adæquato peccata venialia comprehendit: quamvis enim hoc peccatum non tam propria Dei sit offensio, ac est culpa lethalis; revera tamen aliqualis est injuria, tum quod aliquo modo pugnet cum voluntate et lege Dei, tum etiam quod nec ordinetur, nec possit ordinari ad Deum ut finem ultimum, quo nostra omnia referri debent: quapropter etiam ab ingressu beatitudinis hominem retardat.

2º. Peccata habitualia ipsius pœnitentis objectum materiale proximum esse hujus virtutis. Nam, ut S. Thomas q. 85. a. 2. ad 1. ait, proprium virtutis hujus munus est, intendere destructionem peccati: solum autem habituale peccatum in peccatore resipiscente adhuc hæret quoad maculam et reatum; ergo hoc potest solum destruere, ut de actu præterito doleat, eumque detestetur: neque enim virtus ista solum fugit committere actum peccati, sed etiam statum ipsum peccati detestatur; cum peccatum habituale et actuale in eodem genere deformitatis conveniant, sicut actus et habitus bonus conveniunt in eadem honestate virtutis.

3º. Ejusdem virtutis pœnitentiæ objectum materiale proximum ac directum est peccatum omne, quod committi adhuc potest. Nam actus pœnitentis præcipui sunt tristitia de peccato commisso, ejusque detestatio, qui actus ambo sunt de malo præsentis, atque oriuntur ex odio, qui affectus malum secundum se respicit, præscindendo, præsensne illud sit, an absens. Ergo sicut hoc odium in pœnitente tristitiã dei de peccato præsentis ejusque abominationem: ita in eodem excitat aversionem et fugam a peccatis absentibus et quasi ingruentibus. Id quod constat ex Conc. Tridentino Sess. 14. c. 4. ubi dicitur, veram pœnitentiã includere propositum non peccandi de cætero. Et ex illo 2. Cor. 7. v. 10. ubi Apostolus: *Quæ, inquit, secundum Deum tristitiã est, pœnitentiã in salutem stabilem operatur*: nam cum pœnitentiã ipsa sit tristitiã, pœnitentiæ actum alium operatur, hoc est, perpetuum odium et fugam peccatorum, quæ committi deinceps possent.

4º. Peccatum originale non est objectum pœnitentiæ virtutis propriæ sumptæ. Nam de peccato actuali est pœnitentiã propriæ, inquit S. Th. q. 84. a. 2. ad 3. *quia propriè dicimur pœnitere de his, quæ nostra voluntate commisimus... sed peccatum originale non est nostra voluntate peractum, nisi forte in quantum voluntas Adæ reputatur nostra, secundum modum loquendi, quo Apostolus Rom. 5. In quo omnes peccaverunt. In quantum tamen large accipitur pœnitentiã pro quacumque detestatione rei præteritæ, potest dici pœnitentiã de peccato originali.* Ex quibus conficitur, peccata aliena multo minus ad objectum pœnitentiæ pertinere, nisi prout sensu latiore accepta